



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Parallela Geographiae Veteris Et Novae**

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1648**

§. 4. Admiranda in Biscaya.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13147**

§. 4. *In Biscaya.*

IN Cantabria *Tamarici* fontes dicti quatuor exiguo interuallo discreti, quorum tres diebus singulis ita siccantur duodecies quasi hinc nulla aqua extiterit. Putant quoque incolæ auspicij loco esse fontes illos. Si enim non fluant cum ad eos visendos quis accesserit pessimum creditur omen: sicut contigisse narrat proximè his temporibus quibus scribebat auctor. Cum enim eò perrexisset Laërtius Licinius Legatus post præturam, & eo spectante evanisset miraculum, monitus est aliquam imminere ipsi calamitatem. Neque timor irritus fuit, nam septem post dies occidit. *Plinius lib. 31. cap. 2.*

In Cantabria maritima parte mons olim penè ex ferro totus durat ad hæc tempora, & antonomasticos ferrum Hispanicum cognominatur hæc materies. *Nierembergicus.*

In vrbe *S. Dominici Calciatensis* stirps pullorum durat, qui affati licet & mortui surrexerunt, ut testarentur innocentiam adolescentis Galli, quem impudica stabularij filia, quasi reum furti suspendendum curarat. Durat ad hoc tempus & septennio quoq; renouatur, relictis pullis eiusdem omnino magnitudinis & coloris. Et quamquam peregrini omnes plumam detrahant (quorum hinc magna copia) numquam tamen deplumes videntur. *Lucius Marinus*  
*αὐτόματ.*

§. 5. *In Lusitania.*

IN Lusitaniâ ad Campum *Oscum* (alij *Viscum* legunt) piscina erat olim & Baptisterium, quod pridie S. Paschatis aquis per miraculum implebatur. Et quotannis Episcopus triduo antè locum sigillo suo munebat ne fraudi subesset locus. Quare cum lis orta esset inter Gallos, & Hispanos de die Paschatis, pridie Paschatis Gallicani piscina repleta est. *S. Gregorius Turon. lib. 1. Miraculorum.*

In agro *Carinensi* duo fontes, quorum vnus omnia absorbet, alter omnia respuit (inquit Plinius lib. 2. cap. 103.) *Vasæus* ait locum nunc appellari *Cadima*, fontem respuentem evanuisse, absorbentem perdurare. Cuius experimentum ait factum esse se præsentè ab Henrico Cardinali, & Ioanne Rege, in lignis & equo, qui non nisi difficiliter à famulis retractus est. *Vasæus.*

Rr iij